

TANNER, Adam: Theologiae scholastica (1624), Tom. III, Disp. IV, quaes. V, dub. II (Sp. 987-993)

*Vtrum in hoc crimine sola denuntiatio complicum, absq. vllis alijs indicijs sufficiat, ad capiendas & torquendas personas denunciatas etiam bonae alioquin fame*

Ad S. Thomae 2.2.q.67.a.8.

Est haec prima, ac fere precipua difficultas, ex ijs, quae hodie circa processum aduersas sagas in questionem veniunt; & est hac de reduplex Doctorum principalis sententia. Prima absolute affirmat, sufficere ad eum finem, solam denuntiationem plurium sagarum. Hanc sententiam fusetuetur Delrius || lib.5.dist.Sect.3.& in append.2, eiusdem libri q.1.conclus.2. vbi cum antea dixisset; *non fatis tutam videri sententiam multorum grauium scriptorum, volentium, in criminibus exceptis, sufficere ad torturam, si denominatio sit facta ab vno complice*; nihilominus postea subiungit; si quano reus a pluribus complicitibus debite interrogatis fuit denunciatus, etiam absq. alijs indicijs, vel adminiculis, licere iudici procedere ad torturam in nostro (magiae seu veneficij) crimine. Quod tradunt etiam apud eundem citati, Nicolaus Boerius decisione Burdegalens, 319.num 4.&17.Paponius lib.22. tit. 13. Iulius Clarus q 21.n.11. Facrinacius q.43. n 37. Lanfrancus in praxi n. 72.c.8. **Binsfeldius de confess.mal.post. praelud conclus. 6. itemq.**; Friburgenses, Patauini, & Inglostadienses Doctores consulti; quos sequuntur multi recentiores, speciatim Valentia tom 3. disp. 6.q.13.pun.4.§.2.&3. Idem à fortore sentiunt illi, qui etiam vnus complicitis denuntiationem in exceptis criminibus, ad torturam sufficere afferunt, quales apud Delriu citantur Cynus, Imola, Abbas, Ambrosius de Bnomia, Antonius Gomez, Fridericus Scotus, &alij.

Addit tamen simul idem Delrius sub sinem eiusdem questionis conclus.vlt.limitationem, nimirum eam sententiam procedere, *si ex verisimilibus coniecturis, & numero testium, vel ex qualitate deponentiu, vel ex personis eorum, contra quos deponunt, praesumantur nominantes falsum non dicere*. Hancq.; limitatione ait esse Collegij Patauini, illam desumentium ex capit. *In fidei* & capit. *Accusatus*, de haereticis in 6.itemque Arentino, Marsilio, Rolando, & Sprengero in malleo q.4. & alijs. Simulque ad haec capita reduci posse ait conditiones alias, requisitas à **Binsfeldio loc.cit.** Sed nihilominus spectatim Doctoru Friburgensium has conditiones refert. 1. Si in denuntiatione constanter perseuerent. 2. Si poenitentes ad indicium accedano. 3. Si cum contritione moriantur. 4.4 Si nulla mendacij, aut odij, aut inimic itiarum sit auspicio.

Addunt ex Iureconsultis nonnulli, plutum denuntiationes, etiam sufficere ad condemnationem: sp. Qua sententia à Delrio loc. Cit. & à Farinaceo prax.crim.lib.1 de ind. & tort.tit.5.q.43.num.71. tom.1. citantur Antonius Gomez tom.3.var.resolut.rub.de probat. delict.num.18.itemq; Castrensis, Decianus, & Aymon; quibus consentit etiam Lessius lib.2.cap.30.num.39,vbiait; *in huiusmodi exceptis criminibus, depositionem socij non solum esse sufficiens indicium ad torturam, sed etiam esse semiplenam probationem; & accedente alio socio, qui idem deponat, esse plena probatione, & posse reu coudemnari*, vt docet Cynus in leg.vlt.Cod.de accusationibus, & Panormitanus in cap.1.de confessis. *Debet tamen, inquit, haec dpositio fieri, tanquam à teste; nempe cum giuramento, & citata parte, cui etiam danda est copia depositionis, vt poßit se defendere*.

Hi verò omnes authores cum in eo consentiant, solas denuntiationes plurium complicitum, in criminibus exceptis, sufficere ad capiendas & torquedas personas

denuntiatis; apertè tamen ijs locis non loquuntur de personis bonae & integrae fama à strigibus denuntiatis, de quibus nonnulla aliter loquuntur, vt videbimus. || Altera sententia principalis est, propter solam denuntiationem sagarum, seu maleficarum, quantumuis illa multiplicetur, nec torqueri, nec condemnari posse eas personas, quae alioquin ante eiusmodi denuntiationes, & indicia ex ijs orta, probae & integrae fama erant; quam sententiam vti veriolem & tutiolem sequentibus assertionibus declaro & confirmo.

ASSERTIO I. Propter solas denuntiationes sagarum, siue strigum quantumuis multiplicatas, nunquam potest vlla persona denuntiata, quae antea, vt supponitur, bonae & integrae fama, nec ex specialibus iudicijs de crimine suspecta erat, non confessa damnaria, aut extremo supplicio affici, Ita contra quondam Docotres superius relatos, habet communior Doctorum sententia, quam ex istituto in hac ipsa materia defendit etiam Delrius lib.5.disquis.sect.5.num.4, vbi ait: *Quantumuis multiplicentur depositiones personarum infamium & complicum, non est procedendum iudici ex his folis ad condemnationem*, Idem repetit append.2.q.1.

Idem tradit Prosper Farinacius prax.crim.lib.1.tit.5.q.37.num.16. & num.62. & q.43.num.39. & 75 vbi ait: *Nec verum est, quod in delictis occultis & difficilis probationis, socij criminis, tanquam omni exceptione maiores, si vnus sit, sufficiat ad torturam, etiam sine adminiculis; si verò plures, ad condemnandum, quisquid in contrarium dixerint Docotres citati. Veritas est, quod etiam in occultis, vnus testis non facit indicium ad torturam, nisi sit omni exceptione maior, vel nisi coadiuuetur alijs adminiculis. Non etiam verum est, quod tales socijcriminis, tanquam testes omni exceptione maiores, plenè conuincant*. Idem num.39. eandem vocat communem Docotrum opinionem; pro qua speciatim adducit Marsilium, Boerium, Baldum, Clarum in practica § finali q.21. Idem à potiori tradunt, qui negant, etiam complurium, complicum denuntiationem, absque alijs iudicijs vel adminiculis, sufficere ad torturam denuntiati, quos inferius referemus.

Ratio, praeter ea, quae assertionem 3.dicuntur, petitur ex ipsa natura rei, & infirmatione contrarij fundamenti, cum aiunt, ex multiplicatis iudicijs debilibus resultare indicia indubitata. Quod argumentum inquit Delrius, *valde debile est, nec in regre verum*. Numquam enim quae natura sua sunt dubia, possunt rem facere indubitatem (adeoque nec multa argomenta probabilia, quantumuis conglomerata, parere certitudinem) sicut nec multa venialia peccata vnum mortale; nec multa aegra vnum sanum; nec multa non alba vnum album; nec multa tepida vnum calidum &c. quando nimirum res non sunt subordinatae ad vnum finem natura. Sua, sicut vna depositio natura sua non subordinatur alteri. Cum igitur denuntiationes sagarum singulae plane incertae, imo suspectae sint, nec cum alijs subordinatae, fieri non potest. vt eae quantumuis multiplicentur, vllam certitudinem pariant, qualis ad condemnationem requiritur; esto pluriu[m] denuntiationum multiplicatione crescat probabilitas; eo quod singulae nonnihil probabilitas habent.

Nec obstat primò, quod in criminibus exceptis, etiam socij criminis pro idoneis testibus habeantur, || vt ex communi tradunt Syluester V. *Testis* q.1. Clarus q.21.num.3.Sa V *faemina* num.3. Lessius cap.30 num.41. alique citati ex capit finali de testibus cogendis, & Glossa ibidem. Sunt enim illi idonei quidam testes ad probabilitatem conciliandam, sed non ad pariendam certitudinem; praesertim in hoc crimine magiae, vbi, ob specialem conditionem personae delinquentis, singularum, imo etiam plurium denuntiatio merito de falsitate suspecta haberi potest, vt inferius dicam.

Nec obstat secondò, quod testes omni exceptione maiores, si duo sint, pariant moralem certitudinem, quam vnus testis non parit: quia tales testes non sunt suspecti de falsitate, sicut testificatio complicum: quare illi pariunt moralem certitudinem, ita vt vnus testimonium confirmet alterum, quando singola sunt in suo genere firma; haec non item.

Nec obstat tertio, quod socij criminum solum, iure positio repelluntur à testificando: reuera enim ipso naturalis rationis dictamine inepti sunt, ad conuincendum, idque praesertim in magiae crimine, vt assert.3. patebit.

Qua de causa oppositam sententiam, ex principijs quidam intrinsecis, quidquid sit de auctoritate, practice probabilem existimare non possum: eo maxime, quod iudex *sequi debeat securiorem interpretationem iuxta capit. Ad audientiam, & capit. significasti* 2.de omicidio; quodque *cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori*, iuxta regulam 11.iuris in 6. Nec ideo necesse est, elabi multos noxios, quando praeter denuntiationem, etiam suppetunt alia media veritatis eruentdae, vt tortura, infamia, aliaque indicia. Nec oppositum vsquam, quod sciam, in hoc crimine est vsu receptum; idque si reciperetur, non dubito, quin ea certissima futura esset ad exitium plurimorum innocentum via; quo argumento etiam vtitur Delrius; cuius verba retulimus dub.praeced.n.12.

Quare nec vndiquaque probatur, quod ex **Binsfeldio**, & alijs notauit Valentia disp.6.q.13.pun.4. §4 in huiusmodi criminibus atrocibus, natura sua secretis, probationem per coniecturas, & denuntiationes complicum, etiam sine propria rei confessione, sufficere quidam ad condemnandum, sed poena mitiori, quam ordinaria

ASSERTIO II. Nunquam etiam vnus sagae, siuestrigis denuntiatio, quamtumuis per iuramentum, aut torturam confirmata, absque alijs indicatijs, sufficit ad torquendam personam denuntiatam. Ita ex communi sententia contra Cynum, & quondam Doctores superius relatos, docent Delrius disquis.lib.5.append.2.q.1.conclus.1. & Farinacius prax.crim.lib.1.tit.5.q.43.num.76. qui citant etiam Glossam in leg.fin.Cod. de Accus. item Bartholum, Baldum, Bossium, Salicetum, Marsilium, Mascardum, Socinum, Decium, Crauetam, Rolandum, Boerium, item Clarum lib.5. §.finali q.21.num.2. Menochium lib.1.de praesumpt.q.88.num.12.& 13. & alios. Addit Delrius auctoritatem clarissimarum Academiarum, Bononiensis, Patauinae, Friburgensis, & Ingolstadiensis, quae anno 1602, ita consultae responderunt. Colligitur || ex 1. in princip. ff. de quaest. & leg. *Milites* Cod. Eodem titulo, vbis habetur, nec in atrocissimis quidem delictis absque legitimis indicatijs, iudici à tortura inchoandu[m]; legitima vero indicia non sunt vnus co[m]plicis denuntiatio, vt constat ex lege final. Cod de accusat.& cap. *Veniens* de testibus. Scilicet, quia facile accidit, vt complex criminis, *aut denuntiati priuilegio venia[m] speret, aut eius odio, cupiat illu[m] eode[m] supplicio perire*, vt habetur cit.lege finali. Accedit, quod testis infamis iure inhabilis censetur ad probandu[m] & fulciri debet alijs adminiculis, vt indiciu[m] faciat, etia[m] in criminibus exceptis, vt ex textu 1, *Sicuti* Cod. De quaestionibus, cum Bartholo in lege[m] 1.§. *Idem Cornelio*, ff. de quaest. Baldo consil.259.lib.1.& multis aductis à Farinacio quaest.37.num. 58 & quaest.36.num.68. &70. docet Delrius cit.lib.5.append.2.quaest.1.

Ed addit: *Qua sententia communis cum sit iuri & rationi magis consentanea, meo iudicio iudici sequenda est, in vtroque foro. Si quis tamen illam contrariam Cyni, & aliorum sequutus esset, putarem eum Syndicatus non subiacere: facit enim tot Doctoru[m], quos sequutus est auctoritas, vt dici nequeat, ex capite suo vel temere fecisse aut processisse, qui grauium Doctoru[m], & quorumda[m] Iudicum praxin doctrinamque amplexus fuit, licet minus probabilem, vel tutam.* Ita Delrius, cuius

moderationem vt in alijs criminibus exceptis tolerabilem, ita in crimine veneficij nullo modo tuta[m] aut ferenda[m] existimo, vtpote receptae iam tribunalium praxi repugantem ; idque ob peculiarem praesumptionem falsitatis, quae in hoc crimine infectis interuenti, vt mox inferius dicitur.

ASSERTIO III. Quinimo longe probabilius videtur, nec ob plurium sagarum siue strigum, velut complicu[m] denuntiationes, sine alijs indicijs vel adminiculis, contra personam alioqui probae ac integre[tur] famae procedendu[m] esse ad tortura[m]. Haec assertio videtur quidam contra multos Doctores superius n.20.&.21.relatos, & contra praxin Iudicium quibusda[m] locis recepta[m]; sed quae nihilominus tu[m] auctoritate, tum rationes, & argumentis optime fondata est. Ita enim praeter Gomeziu[m] cap 12.n.20. citatu[m] à Lessio lib.2. de Iust.cap.30.dub.5.n.40 docent vniuersim, decriminibus etiam exceptis Marsilius consil.79.n.13. & consil.109.n.10. Ancharanus consil.246. Alexander lege *Si quis ex argentarijs & Cogentur* n.1.ff. de edendo, Corneli[9] consil.333.l.1. Felinus in capit. *Testimonium*, lib.5.de testib[9], Cruuaettus consil.99.num.10. Bartholus in leg.1.ff. de q.§*Idem Cornelio*. Rolandus consil.16.n.18. & 23.lib.1. Bursatus consil. 201.num.61. Bertazzolus consil.28.num.3.consil.116.num.21. quos omnes citat Delrius lib.5.disquis.append.2.q.1.post conclus.2.

Qui etiam q.5. eandem sententia[m], quoad personas bonae famae, indicat esse com[m]une[m], & valde probabilem, cum ait: *Plerique censuerunt, contra constantem, & non vulgare[m] denuntiati famam bonam, nihil ad torturam valere pluriu[m] complicu[m] nominationem: idque ne sit in protestate & arbitrio istoru[m] tam infamium, grauare & denigrare bonu[m] nomen, existimatione[m], & persona[m] hominum probaru[m]*. Citantur pro hac sententia Raphael Cumanus consil.136.,act 1. Alexander consil.89.num.13.lib.3. Marsilius consil.74.num.25. & in crimine nostro || maleficij consil.109.num.27. Paris consil.151.num.13.lib.4. Grammaticus consil.21.num. 8.consil.36.num.37. & decisione 28.num.17. & 18. post Andream de Isernia, & alios a beo allegatos; item Socinus junior consil.39.num.66.lib.2. Rolandus à Valle consil.16.num.24. & consil. 13.num. 35.lib.1. Menochius de Arbitris casu 474.num.42. Bertazzolus consil. 59.num.8. & consil. 61.num.16. Vincentius Ondedus consil. 200. num. 40. lib.1.

*Haec communiter recepta sententia*, inquit Delrius loc.cit. *Valde probabilis est, quando bona fama am constanter & plene probabta est vt dubitare iudex non possit, aut debeat, communt eius loci hominum existimatione, denuntiatum, propter mores ante actae vitae haberi pro viro probo, & ab hoc crimine alieno, arg.leg. De minore & Plurium ff.de quaest.*

Huc spectant etiam illi, qui indicium hoc plurium denuntiatum, per certam & constantem bonae fame exceptionem tunc saltem elidi tradunt, quando ad bonam famam accedunt alia indicia ad exculpandum reum denuntiatum; vel quando etiam reis denuntiantibus plures defectus obiciuntur, qui eoru[m] personas vel dicta debilitant; vt quod sint viles personae, aut alias alijs criminibus scelerosi: quandoquidem semper duplicata materia exceptionis, plus edbet valere, ad augendum & detrahendum. *Quod in terminis*, inquit Delrius cit.q.5. *ad liberandum a tortora nominatos, annotarunt non pauci*. Gigas de crimine laesae Maiestatis tit. *Quomodo & per quos* q.7. num.7. Farinacius q.43.num.179. Et rursus q.17. *Plurimi*, inquit tenuere, *quod etiam in criminibus exceptis, (vt sunt maleficium, haeresis, sodomia, &c.) socij criminis, qui plures defectus patiuntur, v.g. quia multis alijs criminibus implicati, etiamsi, aliter veritas haberi non posset, quam per illos, nec ad torquendum, nec ad inquirendum admittit à iudice possint, &c.* Vbi mox etia[m] sententia velut communi refert, licet ab ijs ipse dissentiat.

Sed & ipse Delrius, licet pro ea sententia, nempe sufficere denuntiationes plurium infamium, & sagarum, ad torturam denuntiati, referat Doctores Ingolstadiensis in scripto suso Anno.1590 (quos tamen postea aliter arbitrator fuisse constat) & Doctores Friburgenses in Consilio Anni 1601. post Bossium, Clarum, Baiardum, Binsfeldium, & alios; ipse tamen denique id, pro diuersitate circumstantiarum iudicis arbitrio diiudicandum relinquit: *Igitur aliquando inquit, plurium sociorum testimonium non eliditur per bonam famam solam, quamtumuis certam; aliquano eliditur: & mea quidamsententia, à iudicis arbitrio dependet iudicare, quando elidatur, quando non quia a iudicis arbitrio pendet decidere in animo suo, quodnam certius in individuo sit indicium bonae famae, an denuntiationis plurium. Quando certius illi videtur indicium bonae famae, tum abstinere tenetur à tortura, iuxta Bartholum in leg.1.§.1.de quaest. Angelum de maleficio in vers. Quod fama publica num.34., Marsilium in §.Diligenter num 190. Alexandrum consil.180.num.9.lib.2 Grammaticum vota 3.num.20. Vbi etiam adducit Ioannem Andream & Baldum. Sic etiam Farinacius q.38.num.110*

*Sin vero vrgentiores & firmiores iudicet complicum denuntiationes, procedat ad torturam saltem leniorem. || Dependet ergo res à pondere indiciorum, vt praeualeant grauiora, vt olim docui lib.5.disquis sect.3.v. Conditiones autem, cum Prospero Farinacio praxi criminali q.47. & est ad mentem Carolinae. Haec Delrio.*